

X 1471.a.26.(1-2)  
RODHOLFFI SCHLICKII  
EXERCITATIO

Qua

M V S I C E S  
O R I G O P R I M A,  
C V L T V S A N T I Q V I S S I.

MVS, DIGNITAS MAXIMA,  
& emolumenta, quæ tam animo quam  
corpori humano confert summa,  
breuiter ac dilucidè ex-  
ponuntur.

ΦΙΛΟΜΗΤΟΡ:

Candidulo Gulino:rofco & suffusa pudore,  
Dic quare in terris, MVSIC A, carpe iter?

Apollo.

VT REpleat Miseros Facili SOL Amine: Laudet  
SOLA VAgis Miras REpetat VTque modis  
Diorum: benefacta Cirrūm & piamunera Batum,  
De cælo vepiens MVSIC A in orbe Viget.



S P I R Æ,

Typis Bernardi Albini  
An. M. D. LXXXVIII.



## EXERCITATIO DE Musica.



T s i , Magnifice  
Rector, Illustres  
ac Generosi Do-  
mini Barones, vi-  
ri Reuerendi, cla-  
rissimi ac pruden-  
tissimi, tuque stu-  
diosa iuuétus, et si  
(inquam) vereor,  
ne turpe sit, mi-  
nimeque deceat,

illum, cui non solùm leges & statuta laudati-  
simæ facultatis nostræ Philosophicæ: verùm  
etiam recepta, & summa sedulitate in inclyta  
hac Academia hactenus obseruata consuetu-  
do dicendi necessitatem imponunt, timere:  
Tamen, si vel clarissimum & doctissimū hunc  
confessum intueor: vel loci huius amplitudi-  
nem, & dignitatem maximam apud animum  
perpendo meum: vehementer vna ex parte  
me perturbari, liberè atque ingenuè fateor.  
Doctissimæ etenim amplissimi huius cōfessus

aures ita assuefactæ sunt , vt nō nisi elegantem  
& exultam audiant & desiderent otationem.

Ego verò , qui & eruditione , & exercitatio-  
ne , & ingenio satis parum possum , istis omni-  
bus , quæ dicenti maximo esse solent adiun-  
to , destituor . Locus deinde non paruum ani-  
mo meo injicit timorem . Tulit enim & in se  
recepit semper eos , qui vberima fuerunt do-  
ctrina instructi : qui excellentissimi : qui exer-  
citatissimi : quorumque haud exigua apud om-  
nes fuit auctoritas . Quæ omnia , eruditio , ni-  
mirum , dignitas , eloquentia & auctoritas , cū  
in orando plurimùm possint : ( teste etiam ipso  
omnium Oratorum principe Cicerone ) quia  
in præsentia mihi defunt : non possum non a-  
nimō meo commoueri , & quidem vehemen-  
ter . Sed me vicissim altera ex parte non parum  
recreat & reficit vestra non tam beneullen-  
tia quam humanitas maxima , qua non tantū  
summè eruditis & exercitatissimis : verū quo-  
que ingenijs mediocribus fauere , imò etiam  
Tyronibus , qui in hanc modò descenderunt  
arenam , applaudere usque soliti fustis . Qua-  
propter etiam illa non timorem nunc mihi  
denunciat , sed summam fiduciam : neque so-  
lum ut quieto , sed etiam ut magno sum animo  
hortatur : neq ; spem modò oratiunculæ meæ  
exaudiendæ , verūm silentium quoque mihi  
pollicetur promptissimum . Reliqua verò

multi-

multitudo, quæ quidem est studiosorum, tota nostra est. Non enim ex illis quemquam esse existimo, qui non tūm illos, quibus dicendi munus hactenus commissum fuit: tūm artes etiam vel disciplinas liberales, de quibus orationes in huiusmodi conuentibus instituuntur, animo complectatur beneuolo.

Cūm verò varia reperiantur rerum dicendarum genera: (Nam vel de optimarum artium præstantia, dignitate & laude: vel de rerum naturalium cauissimis & effectis: vel etiam de moribus hominum rectè iustituendis, optimeque efformandis orationes ex hoc loco haberis solent) non incommodum, aut à præsenti negocio alienum esse duxi, si de arte illa liberali, quæ tūm inter ipsas artes ingenuas, (est enim medio, atque idcirco etiam tutissimo ac dignissimo loco collocata) tūm inter reliquias res laude dignas, non postremum obtinet locum, De Mysica nimirum, verba facere, idque quantum fieri posset, breuissimè. Si enim reliquæ artes liberales necessitatis, utilitatis & iucunditatis laudem in vita humana merentur summam, neque huic mihi in præsentia propositæ & selectæ arti quippiam horum iure detrahi posse, palam facere conabor.

Ac licet materiæ huic amplissimæ pro dignitate tractandæ longè sim impar: Tamen

vt & suauissimæ & pulcherrimæ artis huius præstantiam, originem, dignitatem & cōmoditates maximas aliquo saltem modò indicem: (explanare siquidem omnino nō possum) & doctam studiosorum adolescentum cohortem ad artem hanc amplectendam incitem: non tantūm benevolentia & dignitate: sed etiam singulari, vt erga reliquas artes ingenuas omnes: ita maximè erga dulcissimā hanc artem, Musicam, amore vestro fretus, hanc cathedram concendere ausus fui, omnino sperans, vos hoc tempore per hanc horulam, mihi de Musica declamitanti (id quod vos omnes & singulos iam dudum facere video) aures faciles & benignas daturos esse.

Quod à Deo Opt. Max. omnis bonitatis fonte ac scaturigine promanat, & peculiari dono hominibus offertur, nullum sanæ mentis hominem existere iudico, qui non id magnificat, veneretur, laudibusque perpetuis tollendum censeat. Siquidem post rerum creationem, quam ante annos 555 o. perfectam historiæ testantur, Deus ipse omnia, quæ in pulcherrima hac mundi machina sensibus nostris obuia sunt, suo ipsius testimonio & approbatione euidenti, bona & humano generi multūm conferentia proclamauit, teste Moysē 1. Geneseos capite, vbi ita inquit: Vidi que Deus cuncta quæ fecerat, & erant

erant valdè bona. Stultum igitur foret, immò homine indignissimum, ne dicam impium, id, quod à sapientissimo omnium rerum opifice benignè datum erat, nihili pendere, aut è rerum laudabilium numero omnino excludere.

Quid enim hoc esset aliud, quam creatori non tribuere illud, quod maximè ei tribui par erat, nempe, Sapientiam in creatione oranium rerum, & bonitatem cum præstaria coniunctam maximam? Animi quoque sui ingratitudinem turpissimam haud obscurè significaret is, qui diuina opera non agnosceret talia, quæ maximè naturam & proprietatem Creatoris sui referrent, atque representarent, bonitatem nimirum & dignitatem eximiam.

Porrò Musicam esse illam ipsam rem clementissimo Dei munere nobis concessam, & ab eodem in vero ac sobrio usu approbatam, planum, ut speramus, faciemus. Hoc etenim non solùm sacra scriptura pluribus in locis euidentissimè demonstrat: frequentissimus item, tūm in populo Israëlitico, tūm tempore Apostolorum & primitiæ Ecclesiæ, usus Musicæ artis abundè testatur: Verùm etiam ipse saniorum ethnicorum historiæ profanæ has in re æquè mihi suffragantur. In Genesi quidem Cap. 4. expreſſè affirmatur,

IUBAL filium LAMECH artis Musicæ inuentorem & auctorem omnium fuisse primum. Id quod hæc dicto in loco verbavo-lunt: Iubal est pater omnis contrectantis ci-tharam & organum. Siue verò iam ipse Iu-bal perse inuenerit hanc artem, siue eandem à Deo edoctus fuerit, perinde est. Verisimi-lius tamen est, quemadmodum reliquæ artes omnes generi humano diuinitus sunt con-tessæ: Ita & hanc Iubali à D E O datam & cō-municatam fuisse, à quo deinceps subsequēti temporis successu tanquam ab inuentore & productore primo ad reliquos peruenit ho-mines. Vocabulum siquidem Iubal huic rei non incongruum aut dissentaneum est, ut po-te quod & producere & riuulum aquarum de-notat. Quapropter Iubal rectè nominari po-test vel IOBEL, hoc est, producens siue in-troducens Musicam: vel etiam riuulus, qui ab omnis sapientiæ & bonitatis Oceano, nimi-rum ab ipso D E O defluens, suo flumine pul-cerrimam hanc artem in vita humanæ con-fortium inuexerit. Quod si artis huius natu-ram & proprietatem aliquantulum accura-tiori lance ponderare volumus, plura profe-ctò & maiori admiratione digna reperiemus vestigia, quæ dum D E V M Musicæ artis pri-marium fontem arguunt, multas quoque vna-secum particulas, siue scintillulas à S. TRI-

## ORATIO.

NITATIS bonitate & præstantia immensa desumptas nobis indagatibus offerunt, è quibus liquidissimè apparet, quo ex fonte profluixerit ars hæc nominibus laudanda plurimis.

Ac vt vnicum saltem in medium proferamus huius rei ex eadem disciplina indicium, sufficiat nobis in præsentia sola illa trium vocum Musicalium συζυγίας consideratio, siue in cantu duro, siue etiam molli. Hæc profecto SACROSANCTÆ TRINITATIS opera & potentiam ita repræsentat, vt & maximum cum ijsdem cognationem habere: & ab corundem capite prouenisse vnanimi cōsen-su omnes affirmare cogantur. Quis enim, qui modò suum apud CHRISTVM professus est nomen, Sacrosanctam & venerandam Triada: Patris, Filij & S. Sancti in vnika & simplicissima essentia diuina ignorat? Cui præterea, (nisi vel omnino ἄδειος οὐ καλός sit) opera eiuds我没有找到合适的翻译，所以保留原文。操 admirationia ignota esse possunt? Ingens verò & mirandum singulatum in vniuersa hac mundi machinaturum & creationis & conseruationis opus, à quo quanto penderet? à quo fouetur? à quo tanta prudētia administratur? in quo denique acquiescit, nisi in sola ista sanctissima TRIADE, in qua tres distinctæ personæ: DEVS PATER, DEVS FILIVS & DEVS SPIRITVS SANCTVS, ita existunt, (modo nostris quidem

sensibus prorsus imperuestigabili: sed tamen fidei nostræ diuinis solūmodo patefactionib<sup>z</sup> innitēti credibili) vt sint vnica & simplicissima essentia diuina à qua, quodcunque in amplissimo huius mundi theatro viuit, spirat & mouetur, seruatur omne: è contratio autem, sine cuius diuinæ essentiæ prouidenti administratione languescit, corruptitur, perit & extirpatur, quicquid vel oculis, vel tactui, vel sensu vlli nostro subiectum est? Sed dicas, quomodo verò huius rei signum aut monumen-tum in ternario Musicalium vocum numero mihi demonstrabis?

Dicam quidem, sed rogandus mihi prius es, si non ita accuratè & exactè (id quod non nisi in summos atque excellentissimos cadit artifices.) rem ipsam attigero, animo & quissimo tamen me & audias, & tempori præfenti aliquantulum saltem condones. Sanè ut de summis musicis taceam, etiam illi, qui hanc modulationum conficiendarum disciplinam vix primis attigerunt labiis, facile perspiciunt, S. Trinitatis vestigia & indicia, licet obscura, inde clucere. Dum enim vel cantionum: (quas duras Musici vocare solent.) vel mollium compositionem penitus animo suo perpendit aliquis, meridiano luce clarior est, vtrumque horum cantuum ex ternaria vocum Musiciarum combinatione conflatum esse, hunc quidem

quidem tali, quæ naturæ sua competit: Illum  
verò ea, quæ à proprietate sua non sit aliena.  
Quæ trium vocum in vitroque cantionum ge-  
nere legitima συγία si aufertur, mutilatur  
aut deperditur, totam etiam harmoniam inde  
conflatam quamprimum turbari, euaneat cere,  
ac prorsus corruere videbis, non secus, atque  
omnia, quæ totius mundi complexus in se  
continet, perirent, atque in nihilum redige-  
rentur, si S. Trinitatis ope & administratione  
destituerentur.

Argumentum igitur hoc certissimum ac-  
cipias, Musicam disciplinam, diuinæ auræ  
particulam cælitus nobiscum communica-  
tam: à Iubal filio Lamech (vt antea ostensum  
est.) omnium primo exultam ad posteros  
propagatam, & hinc maximum semper in po-  
pulo Dei usum habuisse, de quo in primis ver-  
ba iam fieri debent. Nam quotiescumque  
legimus Hebræos in profectionibus suis ar-  
cam foederis sustulisse, reperimus eosdem in-  
ter alias cantiones, frequentissimo in usu ha-  
buisse hanc cantilenam: Exurgat D̄vs, &  
dissipentur inimici eius. Hinc pientissimus  
Rex Dauid arcam præcedens, ipse cum toto  
populo Israelitico subsequentे magnalia Dei  
prædicans, non tantum viua voce, sed etiam  
omnis generis instrumentis Musicis, citharis  
nimirum, Lyris, tympanis, sistris & cymbalis

lusit: Hinc numerus certus Musicorum & le-  
 uitarum extat, quos sapientissimus Rex Salo-  
 mon in templo Domini ordinauit & cōstituit:  
 Hinc tot cantilenas in sacris literis á S. sancto  
 per Moysen & Prophetas summa sedulitate an-  
 notatas, & ad nos propagatas, habem⁹, vt sunt:  
 Moysis, Dauidis, Danielis, Deboræ, Hannæ,  
 Trium virorum in camino ardenti, Zachariæ,  
 itēmque Simeonis & Mariæ semper virginis  
 & matris Domini nostri Iesu Christi: Hinc  
 sanctissima Angelorum caterua præ maximo  
 gaudio, in sacrosancto die natali Iesu Christi  
 per densissimas cœli nubes prorumpens, vt  
 altissima: ita & suauissima voce & modulatio-  
 ne D e v m Opt. Max. eiūsque bonitatem &  
 clementiam ineffabilem pastoribus infimæ  
 conditionis hominibus prædicauit: Hinc  
 mos & consuetudo illa apud omnes pios pa-  
 tres familias in populo Dei inualuit, vt vel ac-  
 cumbentes mensæ, vel à conuiuio surgentes  
 quosdam pios cantarent hymnos, atque ita  
 gratias agendo maxima opera Dei per manus  
 quasi posteris suis traderent: Hinc quoque  
 Dominus noster Iesus Christus, D e v s & ho-  
 mo à laudabili hoc ritu minimè discessisse vi-  
 fus est, quando in ultima sua cœna, post esum  
 agni paschalis, ea nocte, qua ab hostibus suis  
 capiendus, & cruci denique affigendus erat,  
 vna cum Apostolis suis in oliuarum monte  
 hymnum

hymnum cecinit grauissimum: Hinc quoque constanter affirmare audeo, locum fuisse Musicae in sacris conuentibus haud extremum tempore Apostolorum, id quod ex pluribus locis epistolarum Paulinarum demonstratum facilimum est. Dum enim Ephesios adhortatur Paulus, ut abiectis lasciuis & omnis generis voluptatibus loquantur spirituallia, & quidem non tantum externa voce, sed intimo etiam corde, sic inquit: Ιητὴ μὴ μελέσθε οἴνῳ, ἐν δὲ ἐσιν ἀσωτίᾳ, ἀλλὰ πληρόθεν ἐν πνεύματι, λαλῶντες ἐκυποθαλμοῖς ιητὴ οὐκέ τοισθεντας ὡδαῖς πνευματικαῖς, ἀλλούτες ιητὴ τάλλουτες ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν τῷ εἰ κυρίῳ, εὐχαριστῶντες πάντοτε ὑπὲρ πάντων ἐν ὅνοματι τῷ κυρίῳ ὑμῶν Ἰητὸς χριστῷ τῷ εἰ καὶ πατρὶ. Deinde ad Colosenses huic loco non dissimilia reperiuntur, ubi præter cantionum argumentum etiam earundem finem & scopum, ut nimirū & honore affiliatur Deus, & homines de beneficiis diuinis doceantur & eruditantur, exprimit Apostolus, Idque fieri iubet cum gratia, innuens, ita canendū esse, ne interim sensus nostri à carminum modis: siue verba à sonis discrepent. Inquit autem Paulus: ὁ λόγος τὸς χριστὸς ἐνοικείτω ἐν ὑμῖν πλατιώς ἐν πασῃσθαια, μιδάσκουτες καὶ υπάρχετεντες ἐκυποθαλμοῖς καὶ οὐκέ τοισθεντας ὡδαῖς πνευματικαῖς ἐν καρδίᾳ τῷ εἰ κυρίῳ.

Et ad Corinthios scribens de sacra συνάξει dicit, Quandocunque conuenitis, quicunque psalmum habet, doctrinam habet, linguā, &c. Hæc igitur loca è sacris monumentis de-  
prompta plànissimè ostendunt, canentibus &  
psallentibus locum quoque fuisse in Ecclesiis,  
idque ab Apostolis obseruatum fuisse di-  
ligenter.

**Q**uod si ad primitiū Ecclesiam nos con-  
quererere, eandemque intueri libet, idem  
quoque in illa post Apostolorum tempora  
factitatum fuisse reperiemus. In orientali  
enim Ecclesia inde usque ab initio viguisse  
Musicam, Plinius, ut rerum naturalium: ita  
etiam veterum historiarum indagator studio-  
fissimus, testatur in Epistola quapiam ad  
Traianum Imperatorem ita scribens: Chri-  
stiani semper consueuerunt hymnos ante lu-  
canos Christo suo canere. Hæc autem Iohan-  
nis Evangelistæ tempore accidisse constat ex  
historiis, quæ Traiani tempore Iohannem vi-  
xisse referunt. Ad occidentalem autem Ec-  
clesiam quantum attinet, licet hæc aliquantò  
serius canendi morem receperit: non tamen  
eundem omnino intercidere aut reiici voluit.  
Cuius rei testis locupletissimus est D. Augu-  
stinus in lib. 9. confess. quando tempore D.  
Ambrosij Musicam in sacros cætus introdu-  
ctam

Etiam assuerat, Neque verò, dum hæc ita ex historiis colligens in præsentia adduco, quenquam futurum esse iudico, qui me eo nomine redarguere cupiat, quasi affirmem, propterea plus modis & concentibus Musicis, quām verbis & sententiis ipsis attribuendum esse. Næ, qui ita sentit, aut iudicat, isto toto aberrat cœlo. Longè etenim aliam, imò prorsus contrariam amplector sententiam, quod nimirum collatione instituta plus dandum sit verbis & sententiis, quām sonis. Neque caret hæc sententia suis defensoribus, Imò habet, eosque grauissimos, quorum in numero etiam est D. Augustinus, qui dicto in loco affirms, quod modi & cantus propter verba, non autem verba propter Musicum concentum inuenta fuerint. Meritò enim illa, quæ priora & antiquiora sunt, posterioribus & recens inuentis præferri solent. D. Augustinum deinde sequitur D. Hieronymus in Epistola ad Ephesios: & Gregorius Romanus in Synodo Romana, quemadmodum videre licet in Decretis dist. 92. in cap. Cantantes & in cap. In sancta Romana. Item dist. 38. in cap. Sedulò monendi. Ibi enim dicitur, eò præstantiores esse sententias verbis siue sonis, quò præstantior est animus corpore humano. Verba hæc sunt: Maximè est utile nosse, ita esse præponendas verbis sententias, ut præ-

ponitur animus corpori. Hinc etiam extitit illud distichon:

*Non vox sed voxum: non chordula Musica, sed vox.*

*Non clamans: sed amans, cantet in aure, D E I.*

Sed ne longius à proposito discedere videar, ad rem ipsam redeo. Et quidem ostendi haec tenus, aut saltem ostendere conatus sum ex sacræ scripturæ, monumentis, Musicam à Deo singulari beneficio hominibus concessam: per homines tanquam media & ὄγκανa ulterius excultam & propagatam: in sacris verbis cætibus, & Apostolorum tempore, & statim post Apostolos in primitiua Ecclesia creberimè usurpatam fuisse. Nunc idem restat quoque probandum ex Ethnicorum sententiis & iudiciis. Quorum, quia maxima est copia, idcirco ex illis omnibus hanc sententiaz nostræ de Musices origine confirmationem firmissimam arripiò, quod nimis & ipsæ gentes diis suis, quos quidem habuerunt innumeros, artis huius inuentionem ascribant primam. Quidam enim, ut Pausanias lib. 5. Mercurium: quidam, ut Plinius 7. lib. Amphiona Iouis summi Deorum filium: Quidam, ut Homerus, Apollinem Musices inuentorem crediderunt. Et quidem de Apolline canit Orpheus Poëta Thracius non tam antiquissimus, quam sapientissimus, quod non solum Musicæ, sed etiam Medicinæ auctor sit & repertror.

**pertor.** Dicit enim in hymnis suis , Apollinem radiis suis vitalibus & sanitatem,& vitam elargiri cunctis : morbos item depellere & aegritudines : Canoris autem & iuauissimis fidibus,hoc est,motibus,actiōnibus,operationibus & viribus suis omnia pulcerrimē contemperare & miscere,ita quidem , vt vñ πάτης voce scilicet graui , hyemein: νεάτη, acuta nimirum, æstatem : μέση denique,hoc est,mediis vocibus , ver & autumnū producat atque ordinet. Hinc etiam ex trium cordarum nervis,seu ex tribus his vocibus tria anni tempora Apollo non immeritò inuenisse fertur. Alij deinde aliis Musicæ inuentionem tribuunt, qui vt genus ipsi à diis duxerunt : ita quoque hanc artem ab iisdem acceptam coluerint , vt Linus Apollinis & Vraniæ filius: Orpheus Apollinis & Calliopes filius : Philammon Apollinis soboles:Amphion,Arion, Pythagoras,Dionysius. Maximè autem Arcades eorumque maiores, Musices studiosissimi perhibentur. Vnanimi igitur ore omnes asserunt,originem Musicæ diis ascribendam esse, præsertim autem Ioui summo Deorum. Quæ tamen sententia Ethnicorum à nobis in eo discrepat , quod nos oraculis Spiritus sancti edocti , vnum Deum : Ethnici autem mendaciis & figmentis diabolicis inflati , plures deos colant & venerantur. Ex utraque igitur parte

Deo ascribitur Musices innentio. Sed adferat  
 forsitan hoc loco quis argumentum in medium  
 quo inferre conetur, diis satis decorè non  
 posse ascribi illud, quod nunquam exercere  
 ipsi visi sint. Huic verò ita occurrentum puto,  
 quod, licet neque Iupiter ipse, neque alij dij à  
 Poëtis & historicis introducantur canentes,  
 (utpote in sola tūm aliarum artiūm, tūm quo-  
 que Musices contemplatione & speculatione  
 versantes pulcerrima nec non iucundissima)  
 nihilominus tamen ex Mnemosyne sobolem  
 suauissimam, hoc est, Musas procreasse fera-  
 tur maximus deorum Iupiter, quæ in lucem  
 editæ perpetuò cantilenis & carminibus con-  
 ficiendis fuerunt deinceps occupatæ, adeò ut  
 & à proprio suo nomine Musicam denomi-  
 narent, & ut ab omnibus hominibus in hunc  
 usque diem hac eadēm appellatione vocare-  
 tur, curauerint. Sic igitur à Ioue & Mnemosy-  
 ne prognatæ sunt Musæ, & sic per Musas con-  
 tinuò perpetuo sub exercitio floruit Musica  
 non secus atque per omnes paulò ante enu-  
 meratos Musarum cultores omni modo har-  
 monico omniq[ue] concentuum musicorum  
 genere ad ipsum aëtum reuocata, & cum ho-  
 minibus communicata fuit semper. Atque  
 hæc de ortu tūm Musarum tūm musices sen-  
 tentia à ceterarum quoque artium & discipli-  
 narum ingenuarum primordiis non discre-  
 pat,

pat, siquidem & harum omnium seminaria & scintillulas quasi nobis primi omnium rerum opificis singulari beneficio inditas, & inde natura nobis ingenitas esse cum Platone etiam Aristoteles sumimus Philosophus credit. Quapropter etiam haec riuiulis non incommodo conferri posse videntur, quandoquidem ab omnis sapientiae scaturigine, Deo nimis ipso, nobis affluunt quidem, sed nisi quis easdem sedulù in se promoueat & ciberrimo usu atque exercitatione magis magisque fluere faciat, statim cessant & instar riuiorum interclusorum exsiccantur atque exarescunt. Sed quorū hæc de origine & inuentoribus musicæ? In hunc inquam finem omnia hæc afferuntur, ut dignitas & præstantia eiusdem non tam patefiat, quam commendetur hinc omnibus & singulis. Si enim de diuino musices ortu, in quo monstrando haec tenus laborauimus, certi sumus, profectò non vituperanda, neque è rerum bonarum confortio eiicienda, neque contemnenda est, cu nieri non possit, quin aliquam saltem particulam præstantiæ & bonitatis inuentoris & auctoris sui præstantissimi & sapientissimi asportet hominibus. Quod si homines munera sua, quæ aliis donauerant, contemni ac pedibus conculcari videntes meritò excandescunt, quid numen diuinum in musicæ hostes ac

persecutores tandem statuturum esse pote-  
mus? Si præterea munuscula ab hominibus fa-  
brefacta nobisque transmissa, (quamuis ludicra,  
caduca, & prope nullius momenti sint)  
magnificimus summoque in precio habe-  
mus: cur quæso, quæ à Deo omnium maximo  
& sapientissimo in nos profecta sunt, ea non  
in primis & summis ducemus, nisi vel ipso  
Glauco stupidiores vel ipso Tiresia cæciores,  
vel denique ipso Gryllo amentiores haberi  
velimus? Non audiendi quoque sunt illi, qui  
ut musicam hominum animis inuisam reddat,  
satis frigidè arguunt, quia nullū propemodum  
locum habeat musica apud homines, imò vnu-  
diquaq; terrarum cum reliquis bonis artibus,  
quantumnis multis laudata & commendata no-  
minibus, exulare cogatur, propterea non tam  
elogium, quam ἄργον, hoc est, vituperium re-  
cte hanc mereri. Verum proh dolor, esse fa-  
teor id, quod ratiocinationis huius antecedēs  
allerit. Rem etenim manifestam, & omnibus  
notam quis negare audet? At interim & hoc  
verum esse omnes saniores fatentur, istiusmo-  
di scilicet contemptum & exilium non pen-  
dere ab artis huius natura & bonitate, que per  
se profectò in boharum rerum numero non  
extrema est: verum in causa esse homines  
μισουστασ, hoc est, tūm artem hanc igno-  
rantes, tūm etiam eandem male & proterue-

**v**surpantes. Qui enim potest colli, & amari  
ab ijs, à quibus nunquam est cognita hæc ars?  
Ignoti siquidem nulla cupidus. Et quomo-  
do res aliqua magni fieri potest, si legitimus &  
verus eiusdem usus ignoratur? Quis etenim (vt  
res exemplo fiat illustrior.) vinum, vt optimam:  
ita utilissimam rem, laudabit, si nun-  
quam gustauit, vel guttulam unicam vini? seu  
quomodo vini præstantiam & commoditates  
commendabit is, qui ad ebrietatem, ad volup-  
tates illicitas, ad lasciuiam, denique ad nau-  
seam usque eo vtitur? Nullo enim modo fieri  
potest, vt hic dicat quantum faciat vinum ad  
corroborandas vires animi & corporis modi-  
ce sumptum, cum modice vinum ipse biberit  
nunquam. Imò magis hoc afflui mare poterit  
& verius, vino immodice sumpto, adeoque  
ingurgitato corporis robur debilitari, conta-  
bescere, consumi: animi vero acumen obtun-  
di, confici & deperdi, quia perpetuo vinum  
male usurpauit. Eadem quoque ratione cum  
Musica comparatum est, quæ nullum locum,  
nedum elogium ullum habere potest apud  
eos, qui eam ignorant, qui que utilitates eius  
maximas nesciunt. Ita igitur sit, vt rem aliquam,  
laude dignissimam vituperemus, derideamus,  
flocci pendamus, adeoque prorsus expella-  
mus: rem vero nullius momenti prædicemus,  
veneremur, magnificiamus, & in cœlum usq;

vel si possemus vterius, tollamus. Quod malum cum etiam musicæ arti accidat, idcirco meritò omnes & <sup>D</sup>omino hanc musices fortè lugent & deplorant. Sed quis tandem Apollo huic musices malo medebitur? qui Aristides ab hac iniuria illata eandem vindicabit? Qui Iupiter ex tempestate tam calamitosa liberabit? Quisue Mercurius viam & rationem pesti huic auertendæ ostendet? o infelicem, o miseram Musicam, quæ sub cuius tutela ab hisce iniuriis immunis esse posses, patronum & defensorem habes nullum: Contrariò o fortunatam, o beatissimam Musicam, si vel vnius saltem tela, quibus vndique peteris, auertentis & declinantis patrocinio gaudere & frui posses.

Et ut dicam quod res est, non minus rectè altissima voce εὐεηκα, εὐεηκα illud clamare illum posse iudico, qui musices morbo auertendo remedium inueniet aptum, quām fecit olim Pythagoras, Orthogonij proprietatem, diu multisque cum laboribus quæsิตam ac inuestigatam tandem assecutus. Accipe igitur, Musica suauissima, accipe, inquam, quæ tibi benignè eruditissimorum hominum turba suppeditat pharmaca efficacissima hæc duo: Exactam scientiam nimirum & legitimum verumque tui usum. Hæc duo ritè adhibita profectò è cimmeriis tenebris in lucem clavissimam:

rissimam: è grauissimo morbo in sanitatem integrerimam; ex contemptu denique in pristinam dignitatem & honoris fastigium summum te restituent & collocabunt in tantum, in quantum antea ab ignorantia turpissima & abusu pessimo obscurata, læsa & abiecta fuisti. Et nè de his dictis remediis, quæ talibus in affectionibus verissima & præsentissima sunt, ullum tibi sit dubium, adeas quæsio res illas omnes, quæ iisdem non solum felicissimè usæ! verum etiam certissimè adiutæ sunt. E quarum numero vel minima aliqua herbula veritatem horum pharmacorum attestabitur, quæ antequam ab ullo medico usurpata, imò ne quidem cognita erat, propterea nullo in precio habita ab omnium pedibus miserè concubatur: quamprimum autem facultas & natura huius herbæ Medicis innotuit, eiusdemque utilitas, bonitas & efficacia in morbis curandis comprehensa est, ilicò à Medicis apud omnes maximopere commendata, summo in precio habita, & denique mirum in modum adamata & culta fuit. Ita igitur cognitio naturæ & utilitatis huius herbulæ in dulcissimum sui amorem & desiderium rapuit illos omnes, qui artis medicæ & herbarum culturæ sunt studiosi & periti. Idem aliis rebus quamplurimis accedit: idem quoque ô Musica dulcissima tibi euenire posse certissimò credas. De ori-

gine Musices pauca hactenus audiuitis, restat  
nunc ut videamus, quid secundum adductas  
rationes ad eiusdem studium maximè nos in-  
uitare atque impellere debeat. Hic verò dum  
singularum rerum proprietatem indagare co-  
nor, omnium primò se se mihi offert natura  
ipsa omnium rerum magistra, quæ cum non  
parua aut. pauca artis huius initia in singulis  
fere rebus nobis commonstret, placet quo-  
pue, habita ratione non tam præsentis tem-  
poris quam benignitatis vestræ diligent, de  
hac paucula in præsentia verba subiicere. Et ut  
à primis ipsis cunabulis nostris dicendi initium  
faciam, anno non constat infantes, quam primùm  
è claustris maternis egressi, iamque fasciis col-  
ligati in cunis collocantur, continuò vagien-  
do ploratum & sonum edere? An non ita soni  
musicalis prima semina:rudissima initia:mini-  
másque scintillulas vnà cum sui ipsius ortu in  
clarissimam huius orbis lucem asportant mi-  
seri & nudi illi infanticuli? Idem infantes nón-  
ne ad nutriculæ cunis assidentis & cantantis  
vocem eò perducuntur, ut dulcedine & suaui-  
tate cantantis dormitent? Imò ipsi infantes  
proprio suo murmure ac sono blandissimo ad  
sonnum capeſſendum ſeipſos alliciunt.

Et quis est, qui hæc negare audeat, cum ipsa  
luce meridiana ſint clariora & manifestiora?  
Ad eò magnam cum natura humana cogni-  
tionem

tionem habere compiriuntur harmoniam Musicam. Vnde etiam Aristoteles omnium Philosophorum princeps dixit, Animum nostrum concentu & harmonia confectum iisdemque mirificè delectari. Et vir totius Græciæ facile doctissimus, Deus quasi quidam philosophorum & magister intelligendi ac dicendi Plato, affinitatem, quæ animo nostro cum Musica intercedit, considerans, dilucide affirmat hanc ob causam animam nostram harmonicè à primo rerum opifice creatam, quandoquidem simile suo simili gaudere & delectari soleat.

Præterea Socrates ἀνδρῶν πάντων σοφότατος in conuiuio Platonis dicit: Animam nostram corpori nostro immersam, ibique altissimo quasi somno consopitam concentu musico velut expurgisci: amoris stimulis excitari; & hinc primos ad honesta capessenda capere impetus. Hæc sunt sapientissimorum virorum de Musicæ cum animo nostro concordantia ac ὁμονοίᾳ iudicia sapientissima, quibus etiam experientiam ipsam astipulari, quotidie videmus, dum modulatione qualicunque auctu rudi saltem homines (modò homines & non bestiis similes sint) defatigatos mirificè affici & recreari omnes uno ore affirmare haud ventur. Annon Virgilius, descripturus, quomodo laboris sui mitigationem querere cu-

pian illi, qui in putandis vitibus sunt occupati, dicit:

Hinc alta sub rupe canit frondator ad auras?

Annon remiges, aratores, aurigæ, omnisq; generis artifices inter operandum cantiuncula aliqua reficiuntur eaque laboris tedium atque molestiam effugiunt? Sed iherum non est, animū nostrum adeò harmonia Musica commoueri & delectari, rationes enim huius rei afferunt non incongruas, & Platonici & Peripatetici, quas in præsentia alteri occasioni referuaturus prolixitatis vitandæ causa omitto. Hoc maiorem meretur admirationem, sono & modulatione mulceri & duci animalia, etiam illa, quæ rationis omnis sunt expertia. Quis verò illa hæc docuit, anno naturam inuentricem & datriem iure & meritò dicemus, & agnosceimus? Nam quis non videt aues, & inter illas omnes maximè lusciniam suauissimo cantu vti, ita quidem vt non tantum æthera repleat, & permulceat vniuersum: verùm etiam homines recreet? Vel dicas quæso mihi vnde huic auiculæ tanta sit canendi libido? vnde eiusdem habilitas? vnde tanta peritia? vnde tanta vocis moderatio? vnde tanta suauitas? Frustra profectò aut temere eidem accidisse hæc omnia, nemo vñquam dicet, sed naturam horum munerum datriem fuisse, molens volens fateri quilibet cogetur. Accedo

ad

ad alia animalia, quæ naturali quoque impetu musicis modulationibus mouentur, & incitantur plurimum. Quis est qui non videat, equos sono & cantilenis delectari? Annon tubæ clangore in bellis auditore redduntur animosiores? annon eodem clangore ducti tellurem vngulis suis percutientes, hinnitu alacritatem suam prodentes, iam iam in certamen ruere ardenter? annon literis & memoriae proditum est, immanes quoque feras & bestias cantu flecti, immo quasi attonitas prorsus consistere, quemadmodum historiæ de Orpheo testantur? annon Delphini cantu & tympanorum sono mouentur, & mulcentur, testibus Plinio, Strabone, Pindaro? annon pleraque brutorum, maximè autem cerui fistulis deliniuntur, quemadmodum inquit Plutarchus in Symposiaco? annon Cicero testatur, saxa quoque & solitudines sonum reddere & representare, id quod illi, qui vel saxa feriunt, vel in locis desertis versantur, quotidiè experiuntur? annon ita est, quod quiddam naturâ insitum haheant, quo ad Musicam & cantiones excitantur & inuitantur? Muli quoque & Asini, licet omnium animalium sint & habeantur rudissimi & *μαδισάτοι*, tamen cantiones & modulationes non respuunt. Argumentum huius rei est, quod tintinnabulis illorum collis suspensis, adeò commoueantur, ut

quosuis etiam labores, imò sarcinas quantum-  
uis graues tergis suis impositas, alacrius & fa-  
cilius perferant. Ex his igitur videre quoque  
est, ipsam naturam non abhorrere à Musicā,  
verūm eandem magnificere, eandemque ob  
causam animalibus nō tām rationalibus quam  
ratione carentibus eiusdem principia & lemi-  
na indidisse manifesta.

Porrò ad dignitatem & præstantiam Mu-  
sicæ facit etiam plurimum consideratio non  
tantum temporis, quo inde usque à primo  
omnium retum ortu ad nostra secula hacte-  
nus durauit, viguit & seruata fuit: sed etiam  
penes quos populos nationesue locum ha-  
buit. Antiquissimam autem omnium artium  
Musicam esse, tūm ex sacris literis, tūm ex pro-  
fanis scriptis superius ostensum fuit. Id quod  
etiam certissimo nobis sit argumento, eam  
non temerè aut frustra à Deo vel omnium pri-  
mò hominibus inditam: vel tantæ diuturnita-  
tis munere donatam esse. Imò potius hinc ap-  
paret, quia semper à prima rerum creatione  
Musica apud homines seruata sit, etiam hoc  
potissimum nomine eiusdem studium à nobis  
maximè fieri debere. Et de gentibus quidem  
à quibus culta est, referunt historiæ, Primò ad  
Hebræos: hinc ad Græcos: à Græcis denique  
ad Romanos Musicam translatam esse. Licet  
yerò creberrimas & maximas iacturas omni-  
bus

bus seculis perpessa sit : Tamen vel Dei Opt. Max. singulari consilio & prouidentia omni tempore suos habuit restauratores & vindicatores, qui semper ea, quæ à maioribus tradita acceperunt Musicæ præcepta in pristinum dignitatis statum reuocarunt : sparsim conscripta summa sedulitate collegerūt: collecta pro ingenij suo modulo correxerunt: correcta suis meditationibus illustrarunt : illustrata in certam quandam doctrinæ formam & methodum redegerunt, atque ita denique effecerūt, ut nihil propemodum iam sit, quod arti Musicæ deinceps vel addi , vel sine rei literariæ iatura detrahi possit.

Et certè, quò quælibet natio ingeniorum præstantia atque excellentia feracior & celebrior fuit , eò etiam magis studium Musicum coluit & adamauit. Ut autem de Græcis saltem aliquid in medium proferam , (ad Latinos enim serius peruenit Musica) Cicero ipse testatur, apud illos non tantum aliarum artium, verum etiam huius studium tanto in honore, precio & existimatione fuisse , ut summā quoque eruditionem in neruorum & vocum cantibus sitam cenerent. Hinc olim tot Musica certamina in tota Græcia habebantut : Hinc tanta Musicis præmia decernebantur : Hinc tot statuæ Musicis olim positæ. Thebis enim, ut refert Athenæus , non conspicitur statua

Pindari, tāquam Poëtæ: sed Connī Musicis statua erēcta est: Hinc tot loca, tot templā, iisdem consecrabantur: Hinc Socrates (vt Cicero affirmat) totius Græciæ sapientissimus in senectute summa didicit Musicam à Conno Musico. Et cum à quibusdam redargueretur, quod in senectute arti huic operam daret, respondisse fertur: Maiorem esse verecundiam, maiusque existere dedecus, in senectute aliquid ignorare, quam in eadem discere.

Hinc Cimon Miltiadis filius: & Epaminandas, Græciæ Principes clarissimi, cum fidibus præclarè canerent, omnibus Græcorum Imperatoribus antepositi fuerunt. Id quod vide re licet apud Plutarchum in Cimone. Hinc Achilles apud Homerum 9. Iliad.lib. Cithara lusisse dicitur post erepta & detracta spolia hosti: Hinc Lycurgus, licet Lacedæmoniis leges dederit durissimas: nihilominus tamen Musicæ studium egregie amplexus est: Hinc Aristoteles, Plato, Posidonius & reliqui Philosophi omnes Musicam doceri sanxerunt. Et Aristoteles quidem 8. Polit. vult iuuenies idēc Musica eruditiri, ut senes facti, tūm de ea iudicare: tūm quoque ipsius Musicæ honestis voluptatibus & recreationibus moueri possint. Idem dicto in loco iubet seniores iuuenum concentibus interesse, tanquam censores & iudices, ne effeminato aliquo & mollitythmo

mo animi iuuentutis corrupterentur. Idem

8. Polit. cap. vltimo inquit:

φα μεν δὲ δι μάταιος ἐνεκεν ὥρεισίασ τῇ μάται  
κῇ χρήσθαι δέν, αλλὰ καὶ πλεόνων χάριν, οὐ γαρ  
ταῖδειασ ἐνεκεν καὶ κατάργεσεως, institutio-  
nis nimirum & purgationis animi gratia.

Plato. 2. de legibus , inquit , καὶ τοι λέγοσι  
δι πλάταιοι μάταιος ὅρθοτητα ἔντε πλὴν δονῶ  
ταις φυχαῖς . Ipse Pythagoras (qui teste Boëtio  
in 1.lib.artis Musicæ , tūm per pondera inæ-  
qualia, tūm per chordarum extensionē , tūm  
per calamorum inæqualem longitudinem ar-  
tem hanc inuenisse fertur apud Græcos ) tan-  
tum studium arti huic impedit , vt vniuersi  
huius mundi machinam solummodo ex Mu-  
sificis rationibus compositam : orbesque cœle-  
stes dum circumvolvuntur concentus harmo-  
nicos edere affirmârit. Huius quoque secta-  
tores tanti fecerunt Musicam , vt & summo  
mane ad Lyram excitarentur , & ad quietem  
iterum captandam incitarentur non nisi sono  
& Musica. Quia igitur tanti siebat Musicum  
studium apud Græcos , hinc quoque tot tan-  
tique præclari artifices extiterunt : Linus, Or-  
pheus, Arion, Amphion, Philammon, Phe-  
nius, Demodocus, Dorceus, Hipparchion,  
Rufius, Connus, Terpander, Timotheus,  
Eunomius, Iopas , & reliqui , quos omnes &  
singulos recensere tempus non patitur. Econ-

trario verò non paruni detrahebatur existimatio & famæ etiam maximorum virorum, quando artem hanc iguorabant. Sic Themistocles quamvis & sapientia opinione, & rerum gestarum gloria apud omnes floreret. Tamen cum in conuiuio recusasset canere fidibus propterea à conuiuis habitus fuit indoctior. Isidorus quoque refert, fuisse olim tam turpe nescire Musicam, quam literas. Hinc factum est, ut in proverbiis quoque abierit: Indoctos à Mūsis & gratiis longissimè absesse. Item eum, qui choræ Musarum expers sit ineruditum: qui verò eiusdem gnarus, eruditum esse hominem. Atque ita qui benè cantandi peritiam habuit, doctum, οὐ μάστιχα τοτεροι: qui verò benè canere nesciuit, indoctum siue οὐ μάστιχα appellarentur. Hinc Plato lib. 8. de Rep. ὑπάρχον πόπον nominauit improbiorem & rusticius verecundum. Hinc etiam Æschines aduersus Timarchū: οὐ γάρ πέσσω τοῖς αἰλοῖσ καὶ οῖσ αἰσθεστοῖσ οὐ τό οὐ γάρ απαιστεύτω αὐδερπόσ εἴη. Scatentem naliis facinoribus etiam Musicam hūc ignorare asseuerat. Legimus Hortenium oratorem, Ciceronis σύγχεον, ob cultū mundiorem & gesticulationes iudicendo molliores sāpe male audire. Hunc cum L. Torquatus, homo moribus subagrestibus in iudicio quodam non ianu histriōnem diceret,

sed

Sed gesticulatricem Dionysiamque (quod nō  
tissimæ cuiusdam saltatriculæ tunc nomen c-  
rat) compellarēt, molli ac demissa voce: Dio-  
nysia, respondit, Dionysia malim equidem  
esse, quam quod tu Torquate, ἔγιθ, &  
πύστι, ἄγοδιατ, ἀμάστ, hoc est,  
agrestis, aditum difficultis, inelegans Musicaq;  
peritia carens. Quo responso Hortensius  
ostendere voluit hominibus Musica scientia  
de titutis nil agrestius, nil difficultius ac nil mo-  
rosius excogitari posse. Plutarchus in vita  
Romuli, dum Sextium Syllam eruditione &  
humanitate præditum fuisse commemorat,  
dicit illum nec Musis nec gratiis caruisse. Hæc  
sternim sunt verba: Σέξτις δὲ σύλλας ὁ καρ-  
χηδόνιος οὐ πατρὸς αὐτοῦ τοι τῶν ἐπιδήκοντων.  
Accedit etiam hoc, quod homines ab huma-  
nitate & literis alieni iussi sunt gratiis & Mu-  
sis, tanquam ignoratione Musices offensis,  
sacrificare. Sic Plato Xenocratem subinde  
monere solitus fuit, ut litaret Gratias. Sic  
apud Athenæum libr. 4. quidam Cinico in-  
humanitatem exprobrans, ait: οὐχ ὕσπερ οὐ  
κυνικός, οὐ μηδὲ ποτε ταῖσ τάχιστη, αλλ' οὐ τε  
ταῖσ μάσταις δύστας.

Denique insigni ac barbara feritate illi  
iudicatis sunt, qui inconditis & inauspicatissi-  
mis dictis artem hanc nobilissimam insepta-  
bantur. Talium in numero fuit etiam Scy-

thicus Rex Ateas, qui tantæ feritatis, tahtæ barbariei , tantæque ignorantiae & inscitiæ fuisse legitur, vt, cum Ilmeniam Musicum celeberrimum ( quem modulis suis suauissimis Bæotios complures ischiadico diuexatos morbo persanasse ferunt) tibia canentem audiuisset, omnesque eiusdem suavitate delinitos illum summa admiratione summisque laudibus prosequentes vidisset : incondito barbaroque iureiurando hæc verba effutierit: Equinum hinnitum sibi videri longè iucundiorum mollioremque . O vocem rege indignissimam : dignissimam verò homine, cui non hominum, sed equorum aut asinorum cura incumbat. Sed in barbaro & quidem Scytha, sermo hic barbarus forte mirus nobis videri non debet. Αὐτὸς γαρ ἀυτὸν ἀνλεῖ , vt est in vulgato prouerbio. Neque cantionem meliorem canit auicula vlla , quam à natura ipsa edocta fuit. Ab antiquitate & præstantia Musices hac tenus ostensis ad naturam illius penitus inuestigandum peruenio. Hic dum eius utilitatem cum suavitate coniunctam maximam obiter saltem animo meo considero, latissimum & fœcundissimum dicendi campum mihi oblatum video , cui profectò saltem breuiter indicando , nedum omnino explanando longè imparem me sentio. Ingenij igitur mei tenuitatem metiens vehe-  
menter

menter pertimesco, & nisi vestra omnium in me audiendo humanitate, benevolentia & clementia summa sustentarer, iam dudum me hisce castris subducere non fuisset verius.

Sed summa illa benignitas vestra facit, ut animosior & confidentior aliquantulum in reliquis expediendis reddar. Breuissime igitur & summatim, quæ precipua ex Musica scaturiunt commoda, subincere audebo, submissè & ea qua par est reuecentia, studio & contentione petens, ut me de hac re peroratum, benignè, quemadmodum hactenus fecistis, audire non dedignemini. Summa profecta ope & industria erit, ut ne huius quidem momentuli impendij vos pœnitere possit.

Vnde autem in tanta utilitatum copia comodè incipiam? an quod Ecclesiæ: an quod hominibus priuatim emolumenta afferat plurima, dicam? Vtrum quæso priori loco ostendendum? publica certe & naturali ordine, & iure etiam digniori, & idcirco loco priori collocanda censemur, quapropter de iis, quæ Ecclesiæ confert, bonis Musica, iam dicere incipiam.

Quod autem inseruiat Ecclesiæ, testatur una cum sacris literis historiæ quoque profanæ tam Græcorum, quam Romanorum. De sacra scriptura antea copiosius est dictum, idcirco ab enumeratione testimoniorum

inde sumptorum hoc loco supersedēdum cē-  
se, ne vestræ humanitati & benignitati de in-  
duſtia molestiam aliquam creare videar. Vni-  
cum ſaltem amoliri volo, quod quidam ince-  
p̄tē ſatis hoc in loco obiiciunt, contenden-  
tes Musicam propterea non adhibendam in  
ſacris cætibus, quia videatur cultui Diuino a-  
liquid detrahere, & ſententiam de merito &  
dignitate Musices in hominum pectoribus  
ſtabilire. Ad hoc ita dico, neminem fanæ  
mentis eſſe, qui pietatis aut ſalutis noſtræ pup-  
pim & anchoram in Musica collocet, quiue  
meritum aut peccatorum remiſſionem eidē  
aſcribat. Eſſet enim hoc ab homine Chri-  
ſtiano alienum: eſſet impium: eſſet blaſphem-  
ium. Quapropter quemadmodum reliqua-  
rum cæremoniarum Ecclesiasticarum: (que  
vel ob mandatum Diuinum: vel æternatum  
corporaliumque pœnarum fugam: vel com-  
munem tranquillitatē: vel denique intro-  
ductionem ad Christum in Ecclesiis obſer-  
uantur) Ita etiam Musices opinio, fiducia &  
meritum iure damnantur, non autem ipſæ ce-  
remoniæ, quo ad naturam ſuam reiiciendæ  
ſunt, cum summarum vtilitatum gratia à Deo  
& piis hominibus introductæ ſint. Hæc ita  
breuissimè expedire placuit. Reſtat nunc  
ut Græcorum Eccleſias intueamur, in quibus  
Musicam vſitatam fuſſe teſtantur: Alexander

ab Alexand. libro 4. cap. 17. & Galenus 17. lib. de officiis hum. part. dicentes nullum apud Græcos sacrificium absque cantilenis & Musica peractum esse. Et Ptolomæus in libris suis testatum reliquit, Musicam Diuinis inseruire rebus.

De Romanis scribit Liuius libr. nono quod & hi in sacris Musicos concentus, potissimum vero tibicines adhibere soliti sint. Multum igitur valuit in Ecclesiis apud omnis generis populos: Hebræos nimirum, Græcos & Romanos. Placet autem hoc loco mentionem quoque facere Caroli illius, qui & ex virtute & terum gestarū magnitudine & gloria verè magnus dictus fuit. Hic præterquam, quod totam Musarum militiam maximi semper fecerit, dum solicitudine & cura, qua potuit maxima & Imperatore dignissima hoc præsttit, ut Musæ per aliquot seculorum spacia eiectæ, extirpatæ & sepultæ, iterum reuocarentur, reuiuiscerent, utque extinctum literariæ sapientiæ lumen in mundo rursus accenderetur vniuerso, excusla, profligata atque obliterata è contrario omni ignorantia, & inscitia, hic, inquam, singulari quoque amore Musicam complexus est, eiusque leges & proportionum regulas ita percepisse fertur, ut in cantibus Ecclesiæ conficiendis eorum modorum auctor esse potuerit.

Cùm enim huius tempore Gregoriana Mie-  
sica maximè vigeret, quæ non omnibus mo-  
dis in templo locum concedebat, idem Caro-  
lus Magnus assidua sed dulitate modorum pro-  
prietates inuestigans, & plurima sacræ scriptu-  
ræ dicta, plurimasque sententias hisce compre-  
hensore animaduertens, non quieuit, verùm quo-  
que & hos modos, qui antea in vñu non erant,  
introduxit, quibus Ecclesia Dei omnem ver-  
borum sacræ scripturæ dævōtātē grauitatem  
& potentiam idoneis sonis exprimere posset.  
Ac sane plurima in sc̄ris literis nobis offerun-  
tur dicta, quæ non æque omnibus modis, sed  
multò melius & aptius hoc quàm alio expri-  
mi possunt. In causa sunt varij animorum  
motus, varij affectus, variæ denique incitatio-  
nes, quæ in sacra scriptura legenti sese mani-  
festant.

Quis enim est, nisi vel mente omni de-  
stitutus, vel oculis sit priuatus ambobus, quis  
inquam est, qui animo suo attentius perpen-  
dens sententias & dicta in sacris monumentis,  
non videat, nunc rapi animos in furorem qua-  
si: nunc iterum reddi placidiores: nunc in mæ-  
torem abiici summum: nunc iterum inde in  
spem, lætitiam inque amorem abripi & dis-  
solui maximum? Exempla cuique sunt ob-  
via. Antiquitas igitur ut pia: ita quoque sa-  
piens in sacrorum cantutum compositione &  
vñu

Yūc potissimum respexit, vt modulationum sensus & cogitationes, ad verba illa, quæ canebantur, quasi sisteret atque ligaret: non autem fracturis & sonorum modulatione ipsa verba & textum corrumperet ac perderet: vtque corda audientium & canentium actius moueret atque feriret: non autem à verbis auctoraret. Hoc etiam voluit Carolus Magnus, & ante hunc Gregorius.

Nulla enim alia de causa Musicis modis in templo locum dederunt, nisi vt idonea verba sonis idoneis: sonosque aptos & conuenientes verbis coaptarent congruis: vtque certi aliquot & eximij loci ex sacris literis decerpti, suavitate harmonizæ Musicæ in Christianorū cœtu fierent, & notiores, & conspectiores & gratiores. Hæc de publicis musicæ emolumentis.

Quantum verò priuatim singulis hominibus conferat illud nunc breuiter explanandum erit. Et quia hominis duæ potissimum sunt partes: corpus & anima, in quantum Musica utrique conducat explicabo, initium faciens à posteriori & præstantiori parte, nimirum anima. Huic profecto tantum insequit, vt ipsa affectuum in animo nostro dicatur gubernatrix & moderatrix, vt pote quæ anxias curas discutere: affectus turbulentos optimè temperare: ex tristibus luctos: ex iratis sedatos

& placidos facilimè facere possit. Quorū omnium exempla non lōgius peti necesse est, cura historiarum monumenta ingentem eorundem copiam nobis suppeditent. Quid enim potuerit cōcentus Musicus in Elisæo prophetā 4. Reg.14.cap.pater. Statim etenim canente fidicine corām eo, animus audientis Elisæi ad prophetandum incitabatur. Quid porrò in Dauide potuit Musica? Nonne suavitate Citharæ,qua coram arca Domini ludebat, adeo mouebatur, ut non saltem extrinsecum gaudium concinno saltu & motu corporis ostenderet: Verūm etiam internam & feruidam animi sui deuotionem magis, magisq; excitaret? Imò quod omnium est maximum, tanta est vis, tanta est efficacia, tantumque vallet concentus Musicus concinnus ac sobrius, (lasciuam Musicam perpetuò improbo) ut ipsum quoque Sathanam, quamuis horrendum & terribilem, ilicò expellat, fuget & prosternat. Exemplo est ipse Dauid coram Saule Cithara ludens 1. Regum 16.cap.Ipse quoque Diuinus Plato Musicam animi nostri affectuum moderatricem testatur, dum inquit: Eam à Diis hominibus datam esse ad præclarius quoddam & præstantius opus. Sed quodnam est illud opus? Audias quæsto Platonem id tibi explicantem: Musicus, inquit, concentus idē datus est, ut non ad delicias vel auriū prætitus

titus cōuertat homines: Verūm vt illud omne quod animæ humanæ consonantiam & harmoniam pulcherrimam & iucundissimam int̄turbare posset, suo delinimēto suauissimo reficeret, sedaret & ad ordinem iterum redigeret conuenientem. Hæc Plato breuissimè quidem, at sapientissimè. Quantum præterea ad virtutum studia faciat, præcipue autem ad fortitudinem, temperantiam, mansuetudinem humanitatemque ab historicis, non saltem literis & memoriaz traditum, verūm etiam exemplis plurimis comprobatum esse, legimus. In fabulis quidē fertur, Amphiona cū Orpheo Syluas, freta & saxa cantu suo ita deliniisse atque post se traxisse, vt etiam ad muros Thebarum extruendos conuenerint. Hæc etsi fabulosa esse non ignorem: tamen sub huius fabulæ inuolucris hoc latitare existimo, quod nimirum Amphion & Orpheus suauitate Musica, saxa, syluas & freta, hoc est, homines rudes, homines stupidos, homines agrestes, barbaros & incultos ita permouerint, ut ad mitiorem vitæ cultum incitari & perduci se facilè passi sint. Ecce tantum potuit Musica. Achilles in 9. Iliad. Homeri ex spoliis hosti erexit, solam Citharam arripuit, eaque non tam veterum res gestas sibi in memoriam, reuocauit, quam animi sui furorem, indignationemque consopiuit. Hinc Platonis

institutum quoque fuisse legitur, ut iuuentus  
omnium primū Musica institueretur, quò ni-  
mirum grauiora & difficiliora studia honesta  
voluptate leniret & mitigaret. Cui astipulatur  
Pythagoras, qui repentinus motus animi &  
perturbationes mentis nulla re magis, quām  
vocum concentu demulceri putauit. Quapro-  
pter Clinias Philosoph⁹ Pythagoricus, si quā-  
do ad iracundiam commouebatur, confessim⁹  
chordis adaptatis Citharā pulsabat. Interro-  
gatus autē à discipulis; quā ob causam in sum-  
ma ista animi indignatione luderet? Respōdi⁹  
quia ex cōcentu hoc musicō animus meus ita  
mitigatur, ut inde à summa iracundia ad placa-  
bilitatem & clementiā vergat maximā. Ex ho-  
rum sapientissimorum Philosophorum insti-  
tutis & responsonibus patet, in quantū mu-  
sica incitet & flectat homines ad humanitatis  
& māsuetudinis studiū. Ecce verò exemplum  
quoq; notatu dignū eiusdē rei, quod à nostri  
seculi historicis refertur. Crāzius.n.lib.i.c.27,  
annotauit, qd Ludouic⁹ Pius Imperator, Tho-  
dulphum Episcopum, licet vitæ suæ insidiato-  
rem ē carcere liberauerit, permotus ista vni-  
pia cātiūcula: Gloria, laus & honor tibi sit Rex  
Christe Redēptor. Quā cantilenam à Theodo-  
olpho in carcere cantitari Imper. Ludouicus  
præteriens audierat. Tantū igitur præstat stu-  
dium musicæ sobrium. Econtario autem vbi  
Musī-

Música contépta iacet & exulat: Ibidé quoq; summa feritas & imánitas vigét. Quid.n. Nero ni Rom. Imp. accidit? an non dū musicā (cuius perhibetur cultor & artifex fuisse summus, ut ipse quoq; testat⁹ est, iam iā moritur⁹ in hæc p rumpens verba: Quantus antifex pereo? Ita.n. Suetonius hoc annotauit) an nō, inquā, dum Musicā amplectebatur, humanissim⁹ & mitif simus fuit? abiecta autē & neglecta eadē, simul cū ipso homine omnē exuit humanitatē, & plāne mutat⁹ est in bestiā turpissimā, vt idcirc⁹ etiam grauissimas sustinere pœnas merit⁹ coætus fuerit? Sed plurib⁹ omissis accedo nūc ad tēperantiam, cui conseruandæ musicā nō parum adiumenti afferre ex his patet argumētis. Clitæmnestra Agamemnonis vxor, an nō custodiuit pudicitiā tādiu, quādiu præsentem habuit Musicū Demodocū? Quāprimū autē Ægysthi adulteri insidiis & dolis music⁹ hic è medio sublat⁹ fuit, an non Clitæmnestra pudicitiæ nunciū remisit, & in Tragica mala incidēs miserrimè perijt? Testis hui⁹ rei est Homerus 3. Odysseæ lib. Quid verò dicā de Penelope Vlyssis uxore castitatis studiosissima? pfecto nisi Vlysses domi custodē vxori suæ reliquisset Phemī musicū, facile à procis p̄suasa pudicitiæ iuxta violasset. Quādiu igitur Phemi⁹ miserabilē Græcorū à Troia reditū cantabat, tādiu etiā, licet innumeris modis à pcis tētata & lacessi-

ta, Penelopes castitas expugnari nō potuit, salua itē & illāsa remāsit. Idē quoq; testatur Homer⁹ 1. Odys. lib. Quod si Cynethēs Arcades maiorū suorū instituta, maximē autē p̄ter reliquas artes ingenuas, de musices exercitio cōstituta, nō ita puicaciter aspernati fuissent, nō tā breui tépore post musicā intermissā in eā feritatē abiissent, vt oēs toti⁹ Græciæ ciuitates māgnitudine scelerū: libidinū frequentia: iñmanis simis crudelitatis exéplis: omnisq; generis mālorū lerna superassent, seq; totos in exiliū atq; interitū p̄cipites dediſſer̄t. Boëthi⁹ in libris suis hāc refert historiā, q̄ adoleſcēs quidā Taurominitan⁹ audito modo Phrygio ita excitat⁹ fucſit, vt etiā pudicissimæ cuiusdā mulieris ædes expugnare conar⁹ fuerit. Sed addit, eundem ab isto audaci & detestādo facinore repulsum cū Pythagoras modū illū mutare, & Spōdeos ei-dē succini iuſſiſſet. Tantū igitūr, quēadmodū audiuiſtis, ad tēperantiæ & pudicitiæ studiū cōducit cult⁹ musices: tā tāq; vicissim ad libidines & omnis generis vitia fenestrā aperit, neglecta & ſpreta musica. Reſtat, vt in virtutū enumeraſtione iam etiā videam⁹ fortitudinē & animositatē. Hic verò mirari ſatis nequeo tātā vim, tātāq; potentia inelle musicæ, vt ex timidissimis ilicē fortiflissimos: ex iracūdis, leniffimos minimo etiā téporis momēto reddere poſſit. Prioriſtacēbri indiciū euīdēs eſt, q̄ vſitatū olim fucſit

sit in Græcia, maximè apud Atheniēses, itēq;  
 apud Indos, Lydos & alias gétes, Citharis, Ti-  
 biis, Tympanis aliisq; instrumētis musicis ho-  
 stē adire, atq; ita animos militū ad forti<sup>o</sup> & ala-  
 crius pliādū incitare. Testatur hoc: Herodot<sup>z</sup>,  
 Alexāder ab Alex. & alij. In posterioris mēbri  
 pbatōe plixiori ne sim, sufficiat vnicū exēplū  
 Timothei musici, de quo Plutar. hoc affirmat,  
 Timotheū illū tātæ suauitatis, tātæq; iucūdita  
 tis harmoniā corā Rege Alex. cecinisse, vt Rex  
 ea audita à mēsa surgens cōtinuò accepta hasta  
 in mediū p̄filierit tāquā iā iā impetū factur<sup>o</sup> in  
 hostē: Viciissim mutato modo eūdē musicū tā-  
 tæ grauitatis & seueritatis sonū lusisse, vt Rex  
 abiecta hasta mox ad summā clemētiā & leni-  
 tatē fuerit cōuers<sup>o</sup>. Posse etiā exēpla nostrorū  
 rēporū enumerare, quale p̄fertim adducit Sa-  
 xo Danorū historicus lib. 12. de Erico Bōno re-  
 ge Daniæ, Sed vobis ipsis dicto in loco illud le-  
 gēdū relinquō. At clamitet hic aliquis, Musicā  
 quia varios excitet affect<sup>o</sup> in hominib<sup>o</sup>, etiā ad  
 lasciuia<sup>z</sup> & alia voluptatū genera ansam dare, id  
 circō nō tāti facienda esse, neq; in artiū inge-  
 nuarū numero ritē collocari? Quid verò huic  
 respōdēdū erit? Obijciā illi exēplū Arcadum,  
 quorū ante feci mētionē, quiq; semp musicos  
 fuerūt studiosissimi, vt ex illo Virgilij constat:  
 Soli cātare piti Arcades. Ergōne illi etiā se se in  
 omni genere vitiorū libidinūq; volutabro vo-  
 luta-

futauerūt? Nequaquā verò hoc historiæ dicūt.  
 Quid igitur de Arcadibus Musicæ cultoribus  
 referūt? Audite, quæso, animaduertite, animo  
 vestro benè ppedito. Arcades, inquiūt histori-  
 ci, fuerūt homines vitæ austeroris & difficili-  
 mæ, nihilomin⁹ tñ studio musico deditissimi.  
 Quā verò ob causā? vt nimirū labores assiduos  
 quos in agris colēdis sustinebat ingēres: vt de-  
 inde omnē vitæ difficultatē, duritiā atq; asperi-  
 tatē: deniq; vt alias cæli austeriores tempesta-  
 tes, hac quasi dulcedine Musica mollirēt, cotē  
 perarēt, adeoq; depellerēt. Hęc est vera causa,  
 ppter quā tā diligentē operā Musicæ impen-  
 derint Arcades. Nō igitur facti sunt inde lasci-  
 ui, aut ad voluptates pcliuiores. Dixi hacten⁹  
 quantū Musica cōferat animo; quātūq; valeat  
 in bonis animi internis: in exercitio nimirū &  
 studio virtutū: fortitudinis, castitatis, māsuetu-  
 dinis & humanitatis. Quod si iam omnia illa,  
 quēadmodū res postulat, vellē enumerare, q  
 Musica possit etiā in fortunæ & corporis bo-  
 nīs: & tēp⁹ me deficeret, & ego huic rei tractā-  
 dæ nō sufficerē. Dicā tamē de his summatim,  
 & prim⁹ q̄ Musica corpori medēdo cōducat,  
 inde patet, quia sanitatē integrā cōseruat: cor-  
 ruptā corrigit: amissam in pristinum integrita-  
 tis statū deducit. Sic Saul furiosus & mēte cor-  
 rupt⁹ Dauidis dulcissima modulatione ad sa-  
 nam mentē redijt. Sic Thales Cretēsis Lacc-  
 dæma

dæmonios oraculi iussu adiēs ope Musicæ à pē  
stilētia liberauit, teste Plutar. Sic Theophras-  
tus Eresius memoriarē pdidit, cant⁹ tibiarū aut  
fidicinum, iteinq; alia organa Musica adhibita  
quarundā viperatū morsib⁹ aptissimè mederi.  
Cælius lib. 6. c. 13. Sic Asclepiades medic⁹ phre-  
neticos nulla re magis, q̄ Symphonia & vocū  
cōcentu resipiscere, & sanitati restitui censuit.  
Ultimo loco accedo ad bona externa, q̄ fortu-  
næ dicuntur. Quid autē ad hæc pmouenda &  
cōseruanda facit Musica? Eadē, inq̄, cōseruat  
& introducit: maximè verò amicitiam, pacē &  
concordiam inter homines cōciliat, cuius rei  
exéplum est Terpander Music⁹ Lesbius. Hic  
n. accersitus à Lacedæmonijs, qui seditionib⁹  
inter se tumultuabantur furiosis, suauitate &  
dulcedine Symphoniaca illorū animos ita pmouit,  
deliniuit atq; pmulsit, vt ilicò & in ami-  
citiā redierint & à seditionis tumultibus quoq;  
cessauerint. Aristot. quoq; 8. Politic. c. 4. dum  
felicē ciuitatē describit, vult vt sint puerorum  
eōmessationes, ludigymnaстici, literatij, Musi-  
ci, Pictoriij & publici, pp̄ter eum solummodo  
finē, vt ea ratione magis inter se noscantur, a-  
micitiamq; ex ea notitia cōtrahant, vnde deīn  
de cōcordia & vnio ciuium subsequitur, q̄ ciui-  
tatē cōseruat & ceu p̄sidio quodā munit firmis-  
simo. Dixi hacten⁹, nō quidē p̄ut dignitas &  
amplitudo materiarē requirebat, sed p̄ ingenij

mei tenuitatem, unde originem Musica primò defusa  
serit: quo modo secundariò per homines propagata &  
exculta sit: Naturam etiam ipsam in omni rerum ge-  
nere nobis monstrare semina & principia Musices:  
Musicam esse omnium artium antiquissimam: Musi-  
cam apud Hebreos, Græcos & Romanos semper ex-  
culturam fuisse. Tandem quantas cōmoditates vñā cum  
suavitate & iucunditate maxima conferat tam publi-  
cē Ecclesiis, quam priuatim, homini nimirum, & eius-  
dem partibus. Dicendum iam etiam erat de Musices  
partibus: de dignitate loci Musices, cur in artium libe-  
ralium circulo medium sibi locum vendicet, an ratio-  
ne præstantia, vel antiquitatis, vel bonitatis reliquis  
preferenda: de numero inde modorum, an rectè nu-  
merentur octo, an plures, an pauciores: An verè Lu-  
cianus in Harmonide vnicuique tonorum suam pro-  
prietatem assignarit: vnde quilibet tonus inventus,  
vnde nomen sortitus, quomodo inter se conueniant,  
quomodo discrepent, quis vsus, quæque utilitas cui libet  
ascribenda: cur Athenaeus, Aristoteles & Posida-  
nius Doricæ Harmoniæ ascribant τὸ ἀνθρώπεον, τὸ  
μεγαλωτέπεστή τὸ σφράγεον: cur Spartiatæ ini-  
gint prælium cantu tibiarum, quam causam explicat  
Plutarchus in Laconicis Apophthegmatibus, & Ari-  
stoteles in Problematis. Sed quia hæc omnia re-  
quirunt & orationem peculiarem, & tempus peculia-  
re & huius rei artificem summum: hæc omnia iam  
mitto. finem dicendi fasturus, ne vel summa vestra  
benignitate abuti, vel temporis præsentis nullam ra-  
tionem habuisse: vel id cuius gratia hæc doctissima  
et bona potissimum conuenit, neglexisse videar. Dixi.

*Erra fol. 7. Ver. antep. lege ipsa f. 10. 6. antep. meridianas*